AD

AVDIENDAM ORATIONEM

MVNERIS DIRECTORIS IN ILLVSTRI GYMNASIO GOTHANO

ADEVNDI CAVSA

A. D. XXIII. OCTOBR. A. C. N. CIƆIƆCCLXXXVI.

IN AVDITORIO MAIORI

HABENDAM

MAECENATES, CVRATORES SCHOLAE, FAVTORES ATQVE PATRONOS

PRAEMISSA

DE ALATIS IMAGINIBVS APVD VETERES COMMENTATIONE

INVITAT

M. FRIDERICVS GVILIELMVS DOERING.



GOTHAE

APVD CAROLVM GVILIELMVM ETTINGER,

1786.

Insignia quaedam deorum imaginibus ab ingenti illa, quae vsquequaque in Olympum confluxerat coelicolarum turba, facilius dignoscendis tributa esse a veteribus, neminem, qui vel a primo limine, quod aiunt, Pantheon aliquod mythicum salutauerit, praeterire potest. Ecquis est enim, qui, vt peruulgato in re notissima vtar exemplo, in lepidissimo illo Luciani dialogo, (D. D II.) quo Mercurius e cunis prorepens, tirocinia artis suae in surripiendis sceptris, forcipibus, gladiis, tridentibus et cingulis deorum posuisse dicitur, non statim, cui deorum deaerumue priuata haec fuerint insignia, intelligat? Sed fuerunt etiam, quae pluribus communia haberentur, in quibus nescio an primo loco recensendae sint *alae*, quas non solum diis sed etiam aliis rebus deorum vsibus accomodatis priscam affinxisse antiquitatem inter omnes constat. Complures enim deos semper alatos a scriptoribus et fictoribus formatos esse, quod deinde etiam ad alios deos, qui hoc insigni proprie caruerint, transferri coeptum sit, non est, quod multis exemplis ex antiquitate ductis demonstratum eamus. Vel vno nunc defungi liceat. In mellitissima illa Aristophanis fabula, *Auium* nomine celebrata, cum Epops e Pisthetaero, aues ad Nephelococcygiam condendam exhortante, sciscitatus esset; (v. 570—75.)

Καὶ πῶς ἡμᾶς νομιοῦσι θεοὺς ἄνθρωποι, κοὐχὶ κολοιούς,
Οἱ πετόμεσθα, πτέρυγάς τ' ἔχομεν;

respondit ille

— — — λαγεὼς, καὶ νὴ Δί᾽ ὅ γ᾽ Ἑρμῆς
Πέτεται, θεὸς ὤν, πτέρυγάς τε φορεῖ, κἄλλοι γε
θεοὶ πάνυ πολλοί.
Αὐτίκα Νίκη πέτεται πτερύγοιν χρυσαῖν· καὶ νὴ Δί᾽
Ἔρως γε
Ἶριν δέ χ᾽ Ὅμηρος ¹) ἔφασκ᾽ ἰκέλην εἶναι τρήρωνι πελείῃ.

Quamuis igitur in vulgus notum eſt, vel maxime ad veterum deorum inſignia alas pertinuiſſe, non plane inutilem tamen mihi ſuſcipere viſus ſum operam, ſi, quibus cauſis permoti antiquiſſimi homines numinibus, quae cultu diuino perſequerentur, alas affinxerint, paulo diligentius anquirerem, et huius rei, cuius vbique tam in poetarum carminibus quam in artis operibus manifeſta extant veſtigia, ipſos fontes indagarem. Quo quidem conſilio liceat, quae commodum ſe nobis obtulit, ſcribendi occaſione ita vti, vt de imagine illa alarum diis et rebus diuinis tributarum vberius exponamus, et, quomodo alatae illae imagines vel ex ſermone vel ex opinionibus antiquiſſimorum hominum exortae et effictae ſint, pro virili demonſtremus, hac quidem lege, vt genio ſeculi noſtri ²) litantes protrita illa et ſexcenties

1) Fruſtra quaeſiuerunt hunc locum Intt. in Homero. Eleganter quidem obſeruat *Brunckius* in notis T. II. p. 161 eiusmodi verſum facile extare potuiſſe in ea, qua Ariſtophanes vſus ſit, Homericorum carminum recenſione, ſed hic quoque obliti eſſe videntur Viri docti, quod ſaepe in veterum locis turbas et coniecturas peperit, non e ſcripto ſed e memoria laudari locum poetae, quem omnes a pueris edidicerant. Vide quae de eiusmodi allegationibus, ad ſeueram rationem non exigendis, docte praecepit *Mullerus ad Platonis Ionem* p. 90. ſeqq.

2) Eſt hoc ſeculi noſtri ingenium et temporum noſtrorum felicitas, vt theſauris litterariis, ſudore ſummo et labore vndique a maioribus noſtris compilatis et totis, quod aiunt, plauſtris congeſtis, liberaliter fruamur ad rationes et origines rerum perſerutandas. Philoſophamur in omnibus etiam in mythis excutiendis et indagandis. Signum in hac re, ſi verum fateri velimus, ſuſtulit *ſummus Heynius*, qui commentationibus ſuis antiquitati plus lucis affudit, quam, qui

ties recocta vel plane omittamus [3]), vel paucula, quae in rem nostram faciunt, ex iis delibemus.

I.

Gisbertus Cuperus, elegantis et variae eruditionis vir, sed πολυμαθειας quam ἀκριβειας studiosior, in uberioribus *ad Apotheosin Homeri* annotationibus copiose egit de deorum alis (p. 169 — 179.) et ibidem statim ab initio illius disputatiunculae sententiam de origine illius rei exposuit. Putat nimirum, veteres, cum sibi persuasum haberent, quicquid immortale esset, stare nescire et sempiterno motu aeternitatem seruare, non melius, exprimere potuisse hanc deorum naturam (τὸ ἀκίνητον vocant philosophorum filii) quam alis, quas diis illis mobilitate vigentibus affingerent; quam quidem opinionem ab Aegyptiis et Phoenicibus ortam ad Graecos et inde ad Romanos peruenisse, et hinc plerumque in tabulis hieroglyphicis deos alatos conspici. Totum igitur illud alarum symbolum in Graecorum mythologiae hieroglyphicis Aegyptiorum et populorum orientalium figuris deriuat Vir ille doctus. Nec temere reiicienda videtur haec sententia, cum expressa in monumentis Aegyptiorum et aliarum Orientis gentium reliquiis de alis, diuinitatis symbolo, exstent vestigia. Antiquissimum huius rei in libris sacris vestigium apparet in Cherubis, quorum mentionem iam factam esse videmus Genes. III. 24. Quodsi autem vix a veritate alienum videtur, eorum imaginem, (quam alatam fuisse omnes norunt)

obscu-

qui ante eum in eadem palaestra desudarunt, ad vnum omnes. Immortalibus de republica litteraria meritis cumulum addet Vir extra omnem laudis aleam positus editione Homeri, in qua adornanda Virorum Doctissimorum ope adiutum eum maxime nunc occupari constat.

3) Omnia enim de diis alatis, notioribus inprimis, Mercurio, Iride, Cupidine, Amoribus et id genus aliis exempla ambitiosa quadam diligentia ex veterum monumentis consarcinare et colligere velle, putidi hominis et otio lectorum suorum male abutentis sit.

obſcura quadam traditione ad antiquiſſimos quosque populos propagatam eſſe; facile etiam ſymbolice alarum ad res diuinas denotandas origo intelligitur [4]. Aegyptios *volucrum genera multa ſculpſiſſe, quas hieroglyphicas litteras appellarunt*, (vt verbis vtar Ammiani Marcellini XVII. 4. p. 160. edit. Lindenbr.) et deos non ſolum auium figuris, vt accipitre, ibide, coruo, expreſſiſſe, ſed humanis etiam deorum formis alas addidiſſe, non eſt, quod multis exemplis comprobemus, quae vbique facile in libris, qui vberius hanc rem explicarunt, reperias [5]. Perſas quoque in fingen-

4) Varias inter eruditos de Cherubis agitatas eſſe controuerſias, ſatis conſtat. Tempeſtati et tonitru deſcribendis inſeruiiſſe et cum curru Iouis tonantis apud Graecos et Romanos comparandos eſſe, vulgaris iam fert opinio, vid. *Dathius V. Cl. ad Glaſſii Philolog.* ſacr. p. 1037. et, qui inprimis huius ſententiae patrocinium ſuſcepit, *Illuſtr. Michaelis in Epimetro ad Lowthii Praelectiones* et in ſinguiari hac de re diſſertatione *in Commentariis Societ. Scient. Goting. T. I. p. 157—185.* Sed longe alium et probabiliorem in hac vetuſtiſſima imagine explicanda iniit rationem *Celeberrimus Herderus vom Geiſt der Ebraeiſchen Poeſie* T. I. p. 177 — 96. et T. II. p. 18. Arbitratur autem e Cherubo, cuſtode Paradiſi, ad terrorem excitandum mirum in modum efficto, omnem illam ſequioris aetatis profluxiſſe iconologiam de ſphyngibus Aegyptiorum, draconibus Graecorum et gryphis Hyperboraeorum et Indorum. Atque haec ſententia arriſit omnibus, penes quos harum rerum eſt arbitrium.

5) Vt *Kircheriana* iam opera omittam, vel Hieroglyphica illa, quae *Horapollinis* nomine circumferuntur, ad rem noſtram comprobandam ſufficere videntur. Vid. v. c. de accipitre et eius alis Libr. I, 7. p. 10. *edit. Pauw.* Huc pertinent haud dubie figurae alatae in tapetiis, belluatis, ζωωτοῖς, Aegyptiorum, Iudaeorum, Aſſyriorum pictae, quales ſunt ἱππαλεκτρυόνες h. e. gryphi, in tapetibus Medicis apud Ariſtoph. Βατρ. 969. vbi vid. *Spanhemius* p. 312. cf. *Voſſius* de eadem re fuſe diſputans ad Catullum p. 196. et quae ſumma, vt ſolet, eruditionis copia, obſeruat *Spencerus* de L. Rit. Ebrae. III. Huc etiam referendae ſunt imagines illae alatae in amuletis Aegyptiacis v. c. *apud Lippert.* Dactylioth. I, 903. 906. De Harpocrate, Iſide, Sole

fingendis diis ſuis alarum imagine vſos eſſe, ex ſacris eorum Mithriacis ſatis liquere puto [6]. Quod autem ad Phoenicum mythologiam attinet, illuſtris locus Sanchoniatonis exſtat in celeberrimo illo Fragmento apud Euſebium (Praep. Euang. I. 10.) vbi Taautus Saturni humeris quatuor, et eius capiti duas alas affinxiſſe perhibetur, *τοῖς δὲ λοιποῖς θεοῖς δύο ἑκάστῳ πτερώματα ἐπὶ τῶν ὤμων, ὡς ὅτι δὴ συνίπταντο τῷ Κρόνῳ.* Iam vero cum ex Aegyptiorum, Chaldaeorum aliorumque orientis populorum ſacris Orpheum myſteria ſua hauſiſſe, negari vix poſſit [7]. apparet, ſiquid in Fragmentis Orphicis de alis deorum occurrat, hoc quoque ex iisdem fontibus deriuatum eſſe. Myſtico igitur ſenſu accipiendae erunt alae Iouis in Fragmento Orphico, quod exſtat apud Euſebium in Praepar. Evang. III. 9. (in Orphei editione Geſneriana Fragm. VI. v. 34. ſeqq. p. 366.) vbi de Ioue ita canit auctor hymni illius:

Sole alatis egit *Cuperus* in Harpocrate p. 120. Omnino autem conferendus eſt in hanc rem *Warburtoni* de diuina legatione Moſis liber IV. ſeparatim Gallo Francica lingua editus et doctis obſeruationibus illuſtratus Lutet. Pariſ. 1744.

6) Sic Luna alata apud Montfaucon Antiq. Explic. T. II. P. II. L. IV. c. 4. p. 215. in monumento Mithriaco, et ibidem etiam Sol alatus conſpicitur. Plura dabit Th. Hyde de relig. Vet. Perſ. c. 4. p. 113. ſeqq. et qui multa ad hanc rem pertinentia, ſed e monumentis recentioribus, ut omnia fere Mithriaca eſſe ſolent, collegit *Philippus a Turre* in Monument. Veteris Antii c. III. de Mithra.

7) Vid. Diodor. Sic. IV. 25. vbi *μυθολογούμενα* ſua ab Aegyptiis accepiſſe diſerte traditur. cf. Pauſan. VI. 20 p. 505. Scio quidem *Cl. Meinerſium* cum in elegantiſſimo libro: *Hiſtoria doctrinae de deo* I. p. 44—54. tum in altero: *Geſchichte der Wiſſenſchaften in Griechenland und Rom* T. I. p. 376. ſeqq. hanc opinionem de religionibus et diſciplinis ab Aegyptiis ad Graecos translatis grauiter impugnaſſe, ſed nondum, vt eius ſententiae ſubſcriberem, a me impetrare potui. Cf. quae *Cl. Tiedemannus* hac de re diſputauit, in commentatione eruditiſſima: *Griechenlands erſte Philoſophen*, 1780.

Ὦμοι μὲν καὶ στέρνα, καὶ εὐρέα νῶτα θεοῖο
Ἀὴρ εὐρυβίης· πτέρυγες δὲ οἱ ἐξεφύοντο
Τῆς ἐπὶ πάντα πατᾶτ. Sic legit Geſn.

Ex his igitur, quae carptim tantummodo ex infinita copia delibauimus, exemplis, dilucide apparet, alas ſymbolum fuiſſe diuinitatis in antiquiſſimis quibusque τῶν ἱερογλυφικῶν et myſteriorum figmentis et inuolucris, et hactenus Cuperum, qui idem affirmaret, vera vidiſſe; ſed, quamquam in vniuerſum allegorica nonnulla et ſymbolica in recentiori etiam et populari mythologia ex hieroglyphicis orta eſſe inficias ire nolumus [8]), tamen, quod colligit idem Vir Doctiſſimus, omnem inde alarum in imaginibus deorum exornandis vſum originem ſuam cepiſſe, nondum perſuaderi nobis potuit. Quodſi enim verum eſt, quod mihi quidem extra omnem controuerſiam poſitum eſſe videtur, omnia gentilium ſacra in duas veluti claſſes deſcribi et diſtingui poſſe [9]), in *philoſophica*, quibus etiam myſteria continentur, et *ciuilia*, quae populi et ſacrificulorum de diis mythos et fabulas complectuntur, omnis ille alarum in imaginibus diuinis vſus, de quo hactenus nobis ſermo fuit, ad priora illa et myſtica ſacra gentilium pertinet, quem ſi quis ad popularem illam et poetis artificibusque Graecorum Romanorumque maxime frequentatam deos alatos effingendi rationem transferre velit, nae ille res toto coelo inter ſe diuerſas permiſceat atque confundat [10]). Iam vero cum

8) Idem cenſet *Sulzerus* in Theoria artium p. 54.

9) Veriſſima haec omnium apud gentiles ſacrorum diuiſio ſi vbique adhibita fuiſſet, multis, quae ſpiſſis tenebris offuſcata iacent, lucem affudiſſet. Breuiter ſed ſcite eam expoſuit Eſchenbachius in Epigene p. 121—23. cf. *Cl. Meiners ueber die Myſterien der Alten in ſeinen vermiſchten Ph. Schriften* T. III. p. 208. ſeqq. vbi de ſacris ἐξωτερικοῖς et ἐσωτερικοῖς veterum docte diſſeruit.

10) Vno, ſed quod egregie totam rem illuſtrare poſſit, exemplo, ex iconologia Amoris apud Graecos, ducto, hoc doceri poteſt. Alatus eſt amor ille myſticus ex ouo πρωτογόνῳ ortus

cum omnis disputatio nostra ita instituta sit, vt in explicanda ratione, quam veteres poetae atque artifices in hac alarum imagine, rebus diuinis tributa, secuti fuerint, inprimis versetur et occupetur, age, iam *ipsas caussas* dispiciamus, quibus veteres inducti alarum imaginem sibi adumbrandam sumserint. Quas quidem si partim *physicas* partim *historicas* fuisse contendimus, haud ineptam eas eruendi rationem inire videmur.

II.

Quod igitur ad primum caussarum genus attinet, quas *physicas* appellauimus, in vniuersum hoc satis apparet, veterum mythos et fabulas maximam partem niti caussis physicis. Quod cum de vniuersa mythologia egregie demonstrauerit *Heynius* [11]), liceat hic quoque vestigia premere tanti antesignani, et quas ille, de vniuerso mythorum genere disputans, caussas aperit physicas, hic sigillatim ad imaginem alarum diis, heroibus et rebus diuinis tributarum referre. Ad caussas physicas igitur, quibus alarum imaginem in diis effingendam debere videtur rudis antiquitas, vel maxime pertinet ipse, quo ad animi sensa explicanda et enuncianda vsi sunt homines sermone. Vtebantur autem, partim ob egestatem linguae nondum satis excultae, partim ob

ortus in illustrissimo illo Cosmogoniae fragmento apud Aristoph. Ὀρν. 695, ad cuius effigiem expressus est Amor ille in Platonis Symposio. Sed volatilis est etiam et *habet geminas, quibus auolet, alas* Amor Anacreontis, Ouidii, Praxitelis. Vid. *Junium* de Pictura lib. III. c. I. §. 11. p. 150. Vterque igitur est alatus. Sed si quis rationem, qua lepide in explicandis Amoris poetici alis vsus est Heliodorus IV. 2. p. 216. edit. Schmidii, ad Platonicum et Orphicum Amorem accomodare velit, profecto, quod Logici dicunt, *μετάβασιν εἰς ἄλλο γένος* committere videatur.

11) In Prolusione *de caussis mythorum physicis* Gotting. 1764. quae praeclaris additamentis aucta inserta est Eius Opusculis p. 184. seqq. cuius lectione plus profici posse puto, quam ex integris magni compilatoris, Banierii, voluminibus, et quae protulit *Court de Gebelin in Monde primitif analysé et comparé avec le monde moderne.*

ob viuidam, qua omnia arripiebant, phantasiam, genere sermonis metaphorico et imaginibus e rebus, quae in oculos cadunt, petitis, composito; quo quidem loquendi more ipsi eorum dii sunt compositi. Fingamus enim, nos in mediam Graeciam eo tempore delatos esse, quo e feracissimis illis omnis mythologiae campis, cosmogoniis et heroum genealogiis [12]) foecunda illa Deorum, quos Graeci deinceps coluerunt, seges propullulauerat, et altas iam vbique in hominum animis radices egerat, quales de diis et eorum forma imagines nobis obuersaturas esse putamus? Nonne omnes apparebunt ἀνθρωπόμορφοι et non nisi augustiori habitu et grandiori forma ab hominibus differentes? Atque haec quidem ratio, qua ista aetate homines in fingendis deorum imaginibus vsi sunt, innumeris veterum poetarum, Homeri imprimis, exemplis ita iam a Viris doctis ad liquidum perducta est, vt actum agat, si quis plura addere velit. Iam vero licet ita de diis suis iudicarent veteres, vt non nisi in vno loco hominum ritu versantes, adeoque huc illuc discurrentes et ab vno in alterum locum commeantes sibi fingerent [13]); tamen nimis abiecte et humiliter de illis se sentire putabant, si eodem, quo ipsi incederent, pedum ministerio eos vti statuerent. Maior igitur et testudineum hominum ingressum longe post se relinquens illis tribuenda erat in incedendo celeritas; quam quidem non melius exprimere poterant, quam volatu, vel alarum vsu et imagine, quia,

12) Cf. Illustr. *Heynii* Commentatio ad Apollodor. P. III. p. 911. et eiusdem commentationes: *de origine et caussis fabb. Homeric.* in Nou. Comment. Societ. Gotting. Vol. VIII. et *de Theogonia ab Hesiodo condita* in Comment. anni 79. Vol. II.

13) Quem fugiunt notissimae illae ἐπιδημίαι et ἀποδημίαι deorum? de quibus vid. *Spanhem.* ad Callimach. p. 87. edit. Spanhem. vel ἐπιφάνειαι? de quibus vide quos laudat *Wesseling.* ad Diodor. Sic. T. I. p. 29. et *Dorvill.* ad Charit. p. 285 edit. Lips. Notissimus etiam frigidiusculus ille Timaei apud Cic. de Nat. Deor. II, 27. de Diana, cum eius absentia templum combustum esset, iocus.

quia, quod iocoſe monet ſeruus ille nequam apud Plautum (Pſeud. IV, 2. 49.) *ſine pennis volare haud facile ſit.*

III.

Quod quidem vt eo dilucidius appareat, non alienum erit ab argumento, quod tractamus, oſtendere, nullas fere metaphoras Graecis et poetis inprimis, priſcioris dicendi rationis ſemper ſtudioſioribus, magis vſitatas et frequentatas fuiſſe, quam quae a volatu et auium celeritate ductae eſſent. Nam cum innumeris fere exemplis probari poſſit, Graecos vel tum, cum lingua eorum maxime exculta eſſet et perpolita, ſubinde et duriuſcule interdum hac metaphora a volatu petita vſos eſſe; quis, quaeſo, dubitet, eandem rudiores eorum maiores multo adhuc frequentius adhibuiſſe, quippe qua ad celeritatem ſignificandam vix quicquam ſignificantius et genio illius aetatis et ſermonis accomodatius cogitari poterat. Et ſic optime, puto, ex ipſa ſermonis Graeci natura et ingenio apparebit, alas, quas vetus Graecia diis ſuis affinxit, non Daedali alicuius opificio, ſed ſermonis, quem ipſum πτερὸν [14]) vocabant Graeci, ſollertia contextas et exornatas eſſe. Atque hoc *primum* neminem, qui Graeca volumina diligentius euoluerit, latere poteſt, Graecos, quodcunque magno celeritatis impetu agitatum deſcribere vellent, alatum finxiſſe. Pelopis equi ob pernicitatem pedum erant celeberrimi. Vulgaris igitur ſermo hoc ita exprimebat, vt a Neptuno, ſcilicet ἱππίῳ [15]), hos Pelopem accepiſſe diceret, et ad celeritatem exprimendam pedibus eorum alas adderet, quorum imaginem vetuſtiſſimo illi artis monumento, areae Cypſeli, inſculptam fuiſſe teſtatur

14) Sic μύθοι πτεροῖς habes apud Euripid. Oreſt. 1176. Sed quis in his deſideret exempla? quis neſcit ἔπεα πτερόεντα Homeri optime explicata a *Geſnero* in Iſagoge P. I. p. 94. edit. Niclaſii.

15) Vide, quod de illo obſeruat, Venerabilis muneris noſtri Anteceſſor, *B. Strothius* ad Liu. I. c. XI. p. 27.

tur Pauſan. V. 17. p. 420 edit. Kuehnii. Hinc Pindarus veterem linguae genium vbique exprimens Olymp. I, 139. de iisdem ita canit:

— — τὸν μὲν ἀγάλλων θεὸς
Ἔδωκεν δίφρον χρύσεον, ἐν πτεροῖ-
σιν τ' ἀκάμαντας ἵππυς.

Sic in eadem arca Cypseli. l. c. p. 423. Gorgones, vt maximam earum celeritatem in perſequendo celerrime aufugiente Perſeo exprimeret artifex, apparent ἔχουσαι πτερὰ πετόμεναι Περσέα διώκουσαι. Porro cum viderent naues, currus illos veliuolos, longe veliciores eſſe terreſtribus, his quoque alas affingere non dubitarunt. Notiſſimus eſt verſus Homericus (Odyſſ. Λ. 124.) Οὐδ' εὐήρε' ἐρετμὰ, τά τε πτερὰ νηυσὶ πέλονται [16]). Pegaſi, Perſei, Daedali et Thebanae Sphingis [17]) fabulas ex antiquiſſimo hoc loquendi vſu explicandas eſſe, quis non videt, et cui non cantatus hic Hylas? Nec recentior Graecorum aetas ab huius metaphorae vſu abhorruit. Illuſtris eſt locus Platonis

16) Copioſi in hac mutua alarum et remorum explicanda metaphora fuerunt interpretes et ſaepe in hanc rem laudati ſunt *Stanleius* ad Aeſchyl. Agam. 52. p. 697. edit. Pauw. *Dorvillius* ad Chariton. p. 262. edit. Lipſ. et quos laudat *Drackenborchius* ad Sil. Ital. XII. 98. et Summus *Hemſterhuſius* ad Lucian. Timon. 40. p. 151. Hinc apud Catullum, (cuius nona, quam curamus, iam ſub prelo eſt editio,) *phaſelus palmulis volare* dicitur.

17) Sphinx illa, παρθένον πτερόν, vt appellatur ab Eurip. Phoeniſſ. 1026. ſeqq. (vbi vid. *Valkenar*) dicitur apud Pauſan. IX 26. p. 760. κατὰ θάλασσαν σὺν δυνάμει ναυτικῇ πλανωμένη. Miror igitur, Palaephatum in explicanda hac Fabula non eandem viam inſtituiſſe, quam ſapiſſime ingreſſus eſt, ita, vt Sphingem de pirata aliquo celeriter nauiganti interpretaretur. Forſitan hic minus erraſſet, quam in aliis. De Sphinge illa recentiore, ſemper alis inſtructa, videndus omnino eſt Ez. Spanhem. de Pr. et Vſu N. V. p. 240. ſeqq. qui cum in eadem diſputatione etiam de Harpyiis, Sirenibus, gryphis et id genus portentis aliis docte et copioſe, vt ſolet, egerit, multa ex eo peti poſſunt, quae hic repetere nolumus.

tonis de Rep. V. p. 467. (p. 40. T. VII. edit. Bipont.) vbi equitandi artem pueris educandis adhibendam esse docet: πρὸς οὖν τὰ τοιαῦτα, ὦ φίλε, πτεροῦν χρὴ παιδία ὄντα εὐθὺς, ἵν' ἄν τι δέῃ πετόμενα ἀποφεύγωσι. Πῶς λέγεις; ἔφη. Ἐπὶ τοὺς ἵππους, ἦν δ' ἐγὼ, ἀναβιβαστέον ὡς νεωτάτους. Nec dubito, quin Socrates ipse hac metaphora vsus sit, cum Xenophon, plane ad ingenium Socratis compositus, eandem passim ad rem suam accomodauerit [18]). *Deinde* hoc quoque obseruare licet, omnes fere animi perturbationes et affectiones vehementiores, Tragica inprimis grandiloquentia, ita exprimi apud Graecos, vt tam sperantes quam metuentes, tam dolentes quam gaudentes alas sumere et euolare dicantur. Pindarus hic quoque agmen ducat, apud quem (Pyth. VIII, 128.) insperato bono mactatus exultabundus ἐξ ἐλπίδος πέταται ὑποπτέροις ἀνορέαις. Sophocles de summa laetitia perfuso (Αι. Μαστγ. v. 693.) περιχαρὴς ἀνεπτόμαν (Sic enim legit Brunck. quem vide) de animo trepidante φόβῳ ἀνέπταν in Antig. 1307. (edit. Brunck.) Plura, quae facili negotio ex Tragicis, inprimis Euripide [19]), in medium proferri possint exempla, silentio praetermittimus, cum satis larga eorum seges apud alios quoque exstet. Sic Theognis, poeta haudquaquam inelegans, modo integra eius, nec miserum in modum mutilata et lacera haberemus carmina, *laetitia euolare* se fingit v. 1055. ex edit. Brunckii in Gnomicis Graecis:

Ἤδη καὶ πτερύγεσσιν ἐπαίρομαι, ὥστε πετεινὸν,
Ἐκ λίμνης μεγάλης ἄνδρα κακὸν προφυγών.

Infinitos autem haec methaphora lusus peperit apud posterioris aetatis scriptores, ex quorum infinita copia vnum saltem exemplum ponamus ex Philostrato, vbi ὑπ' ἔρωτος

18) v. c. Κ. π. IV. 3. p. 371. Zeun. et de Mag. Equit. c. VIII. p. 199. Zeun. vbi equites ἄνθρωποι πτηνοὶ appellantur.

19) Vide sis Hippolyt. 1292. Ion. 796. 1237. Orest. 1375. quibus alia adde quae laudat Doruill. ad Chariton. p. 309. et 607. edit. Lips.

πτηνὸς γενόμενος (nos: von der Liebe befügelt) occurrit in Epist. XLVII. p. 936. edit. Olear. Atque ex eodem fonte profluxit elegans et metaphoricus vsus verborum quorundam v. c. πτερυγίζειν, quod proprie de pullis auium expansis alis volatum tentantium dicitur et deinde eleganter transfertur ad illos, qui frustra et inaniter aliquid conantur, qui sibi non constant, fluctuant et instabiles sunt. Vid. Bergler. ad Aristoph. Plut. 575. Pari modo multifarius est vsus verbi venustissimi πτεροῦν vel ἀναπτεροῦν, quod cum proprie sit *alas addere* eleganter deinde et tropice de iis dicitur, qui ad aliquid suscipiendum excitantur. Locus classicus de huius vocabuli virtute est apud Aristophanem Ὀρνιθ. 1436-50, quem totum adscribere iuuat. Inducitur ibi Sycophanta quidam famelicus et lucri cupidissimus, qui, vt vrbes circumvolitare et reos inde in ius vocare possit, alis instrui cupit a Pisthetaero. Quem cum a turpiori hac victum quaerendi ratione ad honestiorem vitam reuocare vult Pisthetaerus, in haec verba erumpit Sycophanta: ὦ δαιμόνιε μὴ νουθέτει μ', ἀλλὰ πτέρου. Respondet Pisthetaerus νῦν ταῦτα λέγων πτερῶ σε. Syc. καὶ πῶς ἂν λόγοις ἄνδρα πτερώσειας σύ; Pist. πάντες τοῖς λόγοις ἀναπτεροῦνται. Sy. πάντες; Pist. οὐκ ἀκήκοας ὅταν λέγωσιν οἱ πατέρες ἑκάστοτε τοῖς μειρακίοις ἐν τοῖσι κουρείοις ταδί· δεινῶς γέ μου τὸ μειράκιον ὁ Διιτρέφης λέγων ἀνεπτέρωκεν, ὥσθ' ἱππηλατεῖν. ὁ δέ τις τὸν αὐτοῦ φησιν ἐπὶ τραγῳδίᾳ ἀνεπτερῶσθαι καὶ πεποτῆσθαι τὰς φρένας Syco. λόγοισι τ' ἄρα καὶ πτεροῦνται; Pist. φήμ' ἐγώ. ὑπὸ γὰρ λόγων ὁ νοῦς τε μετεωρίζεται, ἐπαίρεταί τ' ἄνθρωπος· οὕτω καὶ σ' ἐγὼ ἀναπτερώσας βούλομαι χρηστοῖς λόγοις τρέψαι πρὸς ἔργον νόμιμον Potest igitur ex vno hoc loco iam satis perspici, quam valde metaphora ab alis ducta veteribus arriserit. Eodem verbo aliquoties eleganter vsus est Xenophon, Ἑλλην, III, 4. p. 139. III, 1. p. 113. edit. Mor. et in Sympos. c. XI. 5. vbi spectatores chori ἀνεπτερωμένοι ἐθεῶντο. Sic saepe apud Polybium, vbi vide *Mericum Casaubonum* p. 213. Apud Dionys. Halic. Ἀρχ. VI, 50. T. II. p. 1154. 9. edit.

9. edit. Reisk. in oratione Menenii Agrippae hostes Romanorum, occasione illos opprimendi oblata, *ἀναπτερῶνται ταῖς γνώμαις*. Alia quaedam exempla ad locum Aristophanis dedit Doctissimus nobisque Amicissimus *Beckius* et, quem laudat, *Villoisonus* ad Long. Ποιμ. p. 91. seqq. [20]). Huc pertinet denique phrasis *ἐκπεποτάσθαι τὰς φρένας* apud Theocritum, de qua vide *Hemsterhusium* in notis Valckenarii ad Id. XII, 72. p. 243. edit. prior. *Porro* ad hanc Graecorum consuetudinem, alarum imagine vel volatu vehementiores animi affectiones exprimentium, referendum etiam videtur phantasma illud poetarum *ἐνθουσιαζόντων*, alis praeditos, vel in alites adeo transformatos volare se fingentium. Illustre in hanc rem extat fragmentum Anacreontis, quod legitur apud Aristoph. ad ὀρνιθ. v. 1312. (in fragmentis Anacr. fr. XXIII. p. 2·8. edit. Fisch.)

Ἀναπέτομαι δὴ πρὸς Ὄλυμπον,
Πτερύγεσσι κούφαις, κ. τ. λ.

Festiue hoc apud Aristophanem imitatur Cinesias poeta familicus, qui ampullas et sesquipedalia verba captaturus in auras alarum ope eniti molitur. Patet autem ex alio loco Aristophanis Εἰρην. v. 829. dithyrambicos illius aetatis poetas sublimitatem quandam affectasse eiusmodi exordiis. Trygaeus enim scarabaeo, lepide iam vices Pegasi sustinente, in coelum euectus, narrat post reditum, se praeter tres animas *διθυραμβοδιδασκάλων ἀναβολὰς ἐνδιαεριαυεριυηχέτας* ibi aucupantium, in aere inuenisse neminem. Caeterum conferendum est ad illud Anacreontis fragmentum aliud eiusdem poetae apud Athenaeum XIII, 8. p. 599. (in fragm. XXXVI.

20) Hinc lux affulget loco obscuritate laboranti apud Aristoph. Ἀχαρν. 970. vbi Dicaeopolis, turdis et merulis, quas humeris portat, largiter se inuitaturus exclamat: *ὤμοι' ἐπαὶ πτερύγων κιχλᾶν τῶν κοττύφων*, quod *Berglerus* non inepte vertit, *intrabo sublatus alis turdorum et merularum*. Vtitur enim Dicaeopolis in hanc sententiam fragmento cantici tum vsitati, quod ad h. l. obseruant scholia, ita, vt sensus sit: *spes comedendorum turdorum et merularum* alas pedibus meis addet.

XXXVI. p. 274. edit. Fiſch.) [21]). Ad hunc enthuſiasmi quaſi afflatum pertinet etiam inſignis locus Euripidis in Hippolyt. 732. ſeqq. vbi chorus, vt varias terrae regiones volatu perluſtrare queat, auis fieri cupit. Sed quis plura in re nota exempla deſideret, cum ex communi fere loquendi more animus paulo concitatior et impetu entheo quaſi abreptus alas ſumere et in coelum extolli dicatur [22])? *Denique* huc referenda eſt illa ſaepiſſime apud Graecos obuia imago, qua quis vel ſimpliciter curru, vel curru adeo alato in ſublime rapi fingitur. Nam cum priſcis illis temporibus et heroicis curru et quadrigis vehi tam honoris quam ſummae in certaminibus celeritatis nota eſſet (vid. Cic. de Diu. II, 70.) facile patet, currus quoque factos eſſe alatos ab hominibus, imagine, ab alis et volutu ducta, mirum in modum tum delectatis. Currus eiusmodi aerius intelligendus eſt in elegantiſſima illa Pindari imagine de iis, qui poetarum carminibus celebrantur. Iſthm. II, 1, 2, 3.

Oι

21) Nimirum poetae, ſublimioris praecipue ſpiritus, ſaepe illud Ariſtophanis ſuum facere videntur in Ὀρνιθ. 784. οὐκ ἔστ' ἄμεινον οὐδ' ἥδιον, ἢ φῦναι πτερά. Nam vt veriſſime ait Plato in celeberrima illa diſputatione de enthuſiasmo poetico κοῦφον — χρῆμα ποιητής ἐστι, καὶ πτηνὸν καὶ ἱερόν in Ione p. 54. edit. *Muelleri*. Hinc lux affulget loco Horatii IV, od. 2. 25. *Multa Dircaeum leuat aura cygnum.* Praecipue autem e formulis hisce, tam crebro apud Graecos poetas obuiis, praeclarum illud eiusdem poetae phantasma illuſtratur. II. od. 20. *Non vſitata, non tenui ferar Penna biformis per liquidum aethera.* In qua quidem adumbranda imagine poetae animo graecum quendam poetam obuerſatum eſſe, facile tibi perſuadeas. Vide ad h. l. *Cl. Ians* in argumento. Locus Platonis, quem ibi laudat, et quem totum apponere debebat, eſt de Repobl. X. p. 765. 13. Caeterum nonnulla huc pertinentia collegit *Klotzius* in Lect. Venuſin. p. 141. ſeqq.

22) Id quod omnium fere gentium conſenſus affirmare videtur. Certe e recentioribus linguis, vernacula etiam, non exulant ejusmodi metaphorae. Orientalibus autem populis vel maxime frequentatae ſunt, apud quos ipſam illam poetarum ſententiam, qua in initio carminum alitum more in auras euolare finguntur, ſatis vſitatam fuiſſe conſtat ex *Ionesio de poeſi Aſiatica* p. 90. edit. *Eichhorn.*

Οἱ μὲν πάλαι —
φῶτες. οἱ χρυσαμπύκων
Ἐς δίφρον Μοισᾶν ἔβαινον [23])
κλυτᾷ φόρμιγγι συναντόμενοι.

Et sic etiam interpretandum est exordium illud in Lycophronis Cassandra v. 14. 15.

Ἀνεῖμι λοξῶν, ἐς διεξόδους ἐπῶν
Πρώτην ἀράξας νύσσαν ὡς πτηνὸς δρομεύς.

Hinc Famae currus alatus, quo viri inclyti circumuecti dicuntur, explicandus videtur. Nec alienus ab hac re est locus *Ammiani Marcellini* XXII. 1. „*Vtque solet fama nouitates augere, properabat exinde sublimior*, (nimirum Iulianus, cum de morte Constantii certior factus esset) *vt quodam Triptolemi curru, quem ob rapidos circumgressus aeriis serpentibus et pinigeris fabulosa vetustas imposuit.*" quocum Ammiani loco comparandi sunt notissimi illi versus Ovid. Trist. III, 8. *Nunc ego Triptolemi cuperem conscendere currum* cet. Elegantissimus etiam de curru aerio, quo quis omnibus conspiciendus vehatur, locus est in fine Somnii Lucianei c. 15. vbi dignus est, qui consulatur magnus illius Interpres, *Hemsterhusius*, p. 20. Ex his igitur, quae hactenus disputata sunt, plus satis apparere puto, nullam fere metaphoram magis graecorum sermone frequentatam esse, quam quae alarum imagine ad celeritatem indicandam petita esset. Restat igitur, vt ad ipsas deorum rerumque diuinarum imagines alatas, quas e caussis physicis, sermone praesertim, originem suam traxisse affirmauimus, nostra iam progrediatur oratio.

IV.

23) In vniuersum currum tribui poesia, res est notissima. Ouid A. A. I. 39. II. 426. Sic apud Nemesian. Cyneg. v. 8. *iuuat aurato procedere curru.* vbi vid. *Wernsdorf.* Saepe a Viris doctis laudatae sunt quadrigae poeticae Cicer. ad Qu. Fr. II. 15. Hinc ipsum prorsae orationis genus *pedestre* vocitatum est. Versus enim vehiculum, ὄχημα, esse poetarum, vel e Plutarchi libello de audiend. Poet. cap. II. p. 10. edit. *Krebsii* constat. Adde quae monuit hac de re Summus *Hemsterhusius* ad Lucian. Prometh. c. 6. p. 32.

IV.

Hoc igitur ſtatim ab initio monendum eſſe videtur, ab antiquiſſimis Graeciae poetis et artificibus omnes omnino deos alatos habitos eſſe et fictos [24]), quia celerrimum eorum motum nulla re aptius exprimere poterant, quam volandi, alarum ope, facultate. Sed procedente tempore, cum omnes fere deos curru vectos inducerent poetae, paucis tantum diis alae relictae ſunt, inprimis iis, qui ad explendas demandatas ſibi partes aegre alarum vſu carere poſſe videbantur. Atque hoc poetarum conſilium lubenter deinceps amplexi ſunt artifices, cum natiuam illam deorum pulchritudinis ſpeciem alarum additamentis magis offuſcari et deturpari quam illuſtrari et exornari viderent [25]). Quod autem ad antiquiſſimum illum omnes deos alatos fingendi morem attinet, huius tam ex poetarum quam artis quibusdam operibus et monumentis breuiter iam nobis liceat quaedam indicare δείγματα. *Saturnus*, licet deus tardipes et compedibus vinctus, *alatus* tamen conſpicitur in nummo Elagabali apud *Patinum* in Numiſmat. Imperat. Romanor. p. 333. Adde *Cuperum* ad Apotheoſ. Homer. p. 43. vbi in marmore

24) Paucis id quoque monuit Summus *Heynius in Antiquariſchen Aufſätzen* 1 St. p. [illegible]. ad vetus illud cognomen Bacchi Ψίλαξ, apud Amyclaeos culti, vt tradit Pauſan. III. c. 19. p. 258. de quo infra agemus. Pauculis autem illis verbis *Heynii* plura ad vniuerſam hanc diſputationem illuſtrandam continentur, quam integro, qui nuperrime prodiit, libello: *ueber Flügel und geflügelte Gottheiten von* C. L. *Junker Novemb.* 1786.

25) Multo pauciores adeo dii alati in artis operibus occurrunt, quam in poetarum monumentis, quia, quod iam monuimus, officere natiuae corporis pulchritudini alarum forma videbatur artificibus, eadem fere ratione, qua obſeruatum eſt, Bacchi ſtatuas et imagines, quae cornibus in capite dei κερασφόρου, vt deſcribitur a poetis, protuberantibus inſignitae ſint, reperiri oppido paucas, quod bene poſt *Spencium* in Polymet. Dial. obſeruauit *Cl. Iani* ad Horat. T. I. p. 422. Conferendus eſt omnino *Laocoon Leſſingii* p. 95. ſeqq. et *Winckelmann über die Allegorie* p. 9. edit. Dresd.

re antiquo χρόνος alatus cernitur [26]). *Iouem* interdum *alatum* apparare in vateribus monumentis, iam obſeruauit *Winckelmannus Geſchichte der Kunſt* T. I. p. 87. edit. Dresd. Cf. eiusdem *Verſuch einer Allegorie* p. 35 et *Deſcr. des pierres gravées du Cab. de Stoſch* p. 53. n. 135. Sic *Iupiter Pluuius* expanſis alis, vndique aqua madidis et rorantibus, conſpici vulgo putatur in columna Antonini apud *Fabrettum*, cuius imaginis ectypum vide apud *Burmannum* ad Petron. c. XLIV. p. 215. [27]). *Diana alata* viſebatur in arca Cypſeli, id quod mirum iam viſum eſt Pauſaniae V. 19. p. 425. Ἄρτεμις δὲ οὐκ οἶδα ἐφ᾽ ὅτῳ λόγῳ πτέρυγας ἔχουσά ἐστιν τῶν ὤμων [28]). Sic *alata* etiam occurrit in numis quibusdam Traiani apud *Triſtan.* Comment. hiſtoriques. p. 310. et 521. adde *Cuperum* ad Apotheoſ. Hom. p. 177. Quid mirum igitur, ſi *Lunae* etiam alae tribuantur in Hymno antiquiſſimo Homarico (p 107. edit. Erneſt.) Μήνην ἀείδειν τανυσίπτερον ἔσπετε Μοῦσαι. Notat quidem ibi *Erneſtius*, inſolens hoc eſſe Lunae epitheton, tamen id nullo modo ſollicitandum videtur. Sic alatam ſibi quoque finxit Lunam Poeta Romanus, Manilius Aſtron. I, 226. vbi ita alloqui-

26) Maxima cautio adhibenda eſt, ne Χρόνου et Καιροῦ monumenta inter ſe confundantur. Καιρὸς enim ſ. Occaſio, recentioris originis numen, ſemper alatus conſpicitur. Sic in Καιρῷ a Lyſippo facti ἐκφράσει Calliſtratus Stat. VI. Opp. Philoſtrat. p. 897. ἑστήκει ἐπί τινος σφαίρας, ἐπ᾽ ἄκρων τῶν ταρσῶν βεβηκώς, ἐπτερωμένος τὼ πόδε, quod deinde explicatur p. 898. τὸ πτέρωμα τῶν ταρσῶν αἰνίττεσθαι τὴν ὀξύτητα. Vid. ibi *Olearius* et ad *Phaedri depictam occaſionem* V. 8. V. V. D. D.

27) De Ioue Pluuio, Ὑετίῳ vid. praeter *Burmannum* ad l. a. et in *Ioue Fulguratore* c. V. *Stanlei*. ad Aeſchyl. Agamemn. 1400. *Interpr.* ad Tibull. I. 7. *Gataker* ad Antonin. V. 7. p. 146. in opp. Gutackeri at inprimis *Spencium* in Polymet. Dial. XIII. p. 210-13. Vbi figura Iouis Pluuii a numo exhibetur.

28) Vide quae in hanc rem diſputat Illuſtr. *Heynius* in Praelectione de arca Cypſeli. (*Vorleſung über den Kaſten des Cypſelus*. Gotting. 1760.)

quitur Lunam: *Vltima ad Hesperios* infectis *volueris* alis, cuius versus patrocinium contra Bentleium suscepit *Dorvillius* ad Charit. p. 373. Lips. Nec opus est, vt cum *Dorvillio* l. c. in hymno Homerico ταυσίπτεροι Μῦσαι refingamus, cum locus ille vetustissimi hymni et Homero ipso forsan antiquioris recte ex antiquissima omnes deos alatos fingendi ratione explicari posse videatur. Eandem rationem sequitur recentior haud dubie aetate Homeri sed ad antiquiorem aliquem expressus Hymnus in *Dioscuros* in Hymn. Homer. p. 109. edit. Ern. vbi *Dioscuri* v. 14. etiam *alati* apparent, qui naufragio periclitantibus opem laturi

— — ἐξαπίνης ἐφάνησαν
ξυθῇσι πτερύγεσσι δι' αἰθέρος ἀΐξαντες.

Notatu sane digna imago, quam neque in alio loco, vbi de eadem re sermo est, neque in ipsis gemmis et nummis, vbi saepissime occurrunt hi σωτῆρες, facile reperias [29]). Ad eandem antiquissimam rationem referenda est imago *Parcarum* in nobili earum sed maximis difficultatibus impedita descriptione in Hymno Homer. in Mercur. v. 549. p. 64. edit. Ernest.

Μοῖραι γάρ τινες εἰσὶ, κασίγνηται γεγαυῖαι
Παρθένοι, ὠκείῃσιν ἀγαλλόμεναι πτερύγεσσι,
Τρεῖς.

Venus alata, lilia manu gerens occurrit in Mus. Florent. T. I. 72. n. 1. [30]). *Bacchum* interdum *alatum* formatum

29) Recentiorem hunc hymnum esse Homero, ex eo apparet, quod Dioscuri hic sunt σωτῆρες nauigantium, cuius opinionis nulla adhuc vestigia exstant apud Homerum, quippe quae tum demum orta videtur, cum Dioscuri cum Cabiris, diis Samothraciis, confunderentur. Vide sis post eruditissimam de illis *Hemsterhusii* ad Lucian. T. I. p. 287. notam, *Ill. Heynium* ad Apollodor. T. II. p. 719. et *Wesseling.* Diodor. Sic. T. I. p. 287.

30) Eandem alatam exhibet e veteri, quam putat, pictura *Ramirez de Prato* in Hypomnemat. ad Martial. p. 40. Sed meri-

tum esse coniectura assequi possumus e loco Pausaniae iam supra laudato III. 19. p. 258. vbi refert Amyclaeos Bacchum vocasse ψίλαν. cf. Hesych. s. v. ψίλακα, quod explicat πτηνόν. Ipse Pausanias addit. l. c. ψίλα καλοῦσιν οἱ Δωριεῖς τὰ πτερά. Sed nullo modo cum Cupero huc trahendus est locus Catulli Epith. Pelei et Thetid. v. 252. *At parte ex alia florens volitabat Iacchus*, nam in hoc loco *volitare* est: *huc illuc discurrere*, *exsultare* vt saepe apud Ciceronem. (cf. Clau. Ernest. s. h. v.) *Musas* antiquissimis temporibus *alatas* fuisse, diserte docet Porphyrius de Abstin. anim. l. III, 16. p. 119. edit. Cantabrig. Οἱ Ἕλληνες — τὰς Μούσας ἐπτέρωσαν, καὶ τὰς Σειρῆνας· κατὰ τὰ αὐτὰ δὲ τήν τε Νίκην, καὶ τὴν Ἶριν, καὶ τὸν Ἔρωτα, καὶ τὸν Ἑρμῆν. Sed fatetur *Cuperus* ad Apotheos. p. 170. se praeter hunc, vbi alatarum Musarum descripta sit imago, nuspiam alium locum indagare potuisse; nisi quis huc trahere velit locum Ouidii Metam. V. 288. vbi Musae *sumtis alis* Pyreneum effugisse dicuntur, vel quae de pennis Sirenibus post certamen euulsis tradit Pausan. IX. 34. p. 778. Cf. *Winckelmannus* in praeclaro libello *Versuch einer Allegorie* p. 38.

V.

Ex his igitur, quae modo attulimus, et quibus longe plura, si opus sit, addi possint exempla, liquido apparet, antiquissimis temporibus, cum nondum verbis assequi possent deorum praestantiam homines, plurimos deos alatos fictos et ad eam, qua tum vtebantur, loquendi rationem attemperatos esse. Sed mature, quod supra iam monuimus, cum linguarum cultus magis efflorescere coepisset,

 mos

merito dubitatur ab eruditis, an genuina illa sit, et a vetere aliquo artifice profecta. *Iuncuerus* in libello laudato *über Flügel und geflügelte Gottheiten* p. 54. Venerem οὐρανίαν tantum alatam fictam esse contendit. Sed difficilis est admodum quaestio de Veneris coelestis imaginibus, nostra aetate multum, vt constat, in Francogallorum de Venere commentariis agitata.

mos ille omnes deos alatos fingendi paulatim cessauit et elanguuit. Apud Homerum enim, praeter Mercurium et Irin, ne ii quidem dii alis instructi reperiuntur, quibus recentior aetas omnium consensu alas affinxit. Nec dubitandum est, quin egregie dignitati deorum consuluerit Homerus, cum celerem illorum ingressum non alis, quas singulis tribueret, sed imaginibus et figmentis longe sublimioribus describeret. Descripturus enim celeritatem, qua dii deaeue ex vno in alterum locum secedentes vsi fuerint, vel pedibus incedentes, vel curru, more heroico, vectos depingit, vel rapidum illorum cursum cum velocissimo auis volatu comparat. Imo et Minerua in terram descensuri curru vehuntur Iliad. Θ. 374. E. 745. et saepius. Et quis non nouit et, si nouerit, admirabundus semel atque iterum contemplatur illam imaginem, qua Neptuni, ad auxilium Graecorum aduolantis, velocitatem describit Iliad. N. 20. Τρίς μὲν ὀρέξατ' ἰών, τὸ δὲ τέτρατον ἵκετο τέκμωρ. Mineruam denique ab Olympo desilientem saepius comparat cum harpa, aui illa ex aquilarum genere velocissima. v. c. Iliad. T, 350. [31]). Iam vero cum Mercurius et Iris nunciorum fere tantum personam sustineant apud Homerum, illis quidem, magis incedendi celeritate quam dignitate nobilitandis, alas et talaria tribuere non dubitauit poeta summus. Hinc Iris passim vocatur χρυσόπτερος v. c. Iliad. Θ, 398. Δ, 185. Quod autem Mercurium attinet, de eius alarum vsu apud Homerum recte forsan adhuc dubitari potest. Non alae enim proprie illi tribuuntur ab Homero, sed talaria, πέδιλα, τά μιν φέρον ἠμὲν ἐφ' ὑγρὴν, ἠδ' ἐπ' ἀπείρονα γαῖαν, ἅμα πνοιῆς ἀνέμοιο. Iliad. Ω. 340. Ex quibus vix tuto colligi potest, quod saepe factum est, Homerum iam alata Mecurio tribuisse talaria [32]), nam verbum πέτεσ-

31) Cf. qui plura loca collegit et egregie de toto deorum incessu apud poetas egit *Summus Heynius* ad Virgil. Aen. I, 402. Excurs. XIII. p. 121. T. II.

32) Nimirum πέδιλα Homero sunt calceamenta in genere. Iliad.

πέτεσθαι, quod mox v. 335. de Mercurio et ſaepe de aliis diis apud Homerum dicitur, in vniuerſum celerrimum deorum motum denotat. Eadem enim ratione ταχινὰς ἐνδρόμιδας, quas Iridi tribuit Callimachus Hymn. in Del. 238. alatos

Iliad. 13. 44. vt patet etiam ex etymo vocis Cf. *Albert*. ad Heſych. ſ. v. T. II. p. 898. *Graeuii* Lect. Heſiod. ad Theog. p. 12. et *Clariſſimus Beckius* ad Ariſtoph. Ὀρνιθ. 974. Cum igitur Homerus hanc vocem de calceis Mercurii celerrime incedentis adhibuerit, factum eſt, vt illa nunquam fere deinceps niſi de alatis deorum talaribus diceretur. Tribuebantur enim haec talaria etiam aliis diis; v. c. Mineruae, de qua locus eſt inſignis apud Cic. N. D. III, 23. *Plantares alas* vocat Stat. I. Theb. 303. vbi vid. *Barthius*. Πέδιλα ſiue talaria alata occaſioni tribuit Poſidippus in noto illo Epigrammate in Analect. Vet. Poet. Graec. XIII. p. 49. T. II. edit. Brunck. — Τί δὲ ταρσοὺς — Ποσσὶν ἔχεις διφυεῖς; ἵπταμ' ὑπηνέμιος. quod imitatus eſt Auſonius Epigr. XII. v. 5. Pari modo πέδιλα aſſignat Nonnus Νίκῃ lib. II. p. 52. v. 25. 26. edit. Wechel. Καὶ Διὶ μειδήσαντι παρίστατο ... Νίκη Ἥρης ἀμφὶ ... διαγράψασα πεδίλῳ. In vniuerſum autem obſeruare licet, talaria fere ad ſummam in conficiendis negotiis indicandam celeritatem adhibita fuiſſe. Sic in anaglypho in aedibus Mineruae Chalcioeci apud Pauſan. III. 17. p. 251. Περσεῖ ἐς Λιβύην τε καὶ ἐπὶ Μέδουσαν ὡρμημένῳ Nymphae dant ὑποδήματα, ὑφ' ὧν ἐνεχθήσεσθαι διὰ τοῦ ἀέρος ἔμελλεν, quae in eadem hiſtoria πτηνὰ πέδιλα appellat Apollodor. II, 4. p. 95. Heyn. — De Perſei talaribus res nota et decantata poetis. Sed Atalantae etiam currenti tribuuntur talaria ab Ouid. X. Met. 591. quod *N. Heinſius* male de tunica talari accepit, merito ob id reprehenſus ab *Erneſtio* in Clau. Cic. ſ. v. Et hinc prouerbium illud apud Cic. ad Att. XIV, 21. *talaria induamus* h. e. viam, qua quam celerrime elabi poſſimus, circumſpiciamus. Caeterum, vt hoc de Mercurio, a quo omnis ille talarium vſus profluxit, addamus, notum eſt, alas etiam eius caduceo procedente tempore additas eſſe, et neſcio, an huc referendum ſit epitheton illud paulo obſcurius in virgae Mercurialis deſcriptione Hymn. in Mercur. 527. τριπέτηλον. — Denique cum petaſus etiam vel galerus (Stat. I. Theb. 304.) illi tribuatur, ſiue quod viatores et nuncii inprimis petaſo vſi fuerint (vid. *Victorius* V. L. I, 24. et V. V. D. D. ad Sueton. Aug. 82.) ſiue quod pileus vel cauſia apud Arcades, Mercuri

tos cothurnos fuisse affirmari possit, quod tamen nemini, credo, vnquam venit in mentem. Quodsi autem ad ceteros deos, quos semper alatos finxit aetas posterior, animum attendimus, nuspiam fere ab Homero alas illis additas esse reperiemus. Sic *Somnus*, quem recentiores poetae nunquam non alatum fingunt 33), apud Homerum in loco illo celeberrimo Iliad ξ. 281. non alatus sed pedes tantum vna cum Iunone incedit. Sic *Somnia*, quae semper alata finguntur, (v. c. apud Eurip. Hecub. 71 μελανοπτέρυγες ὄνειροι. Petron. c. CIV. *Somnia, quae mentes ludunt, volitantibus vmbris*, quod imitatus est poeta recentior e poetis minoribus *Wernsdorf.* T. I. p. 182.) Homero tantum sunt θῖα, quamuis illa, aeque ac Mercurius et Iris, nunciorum et interpretum partes apud Iouem sustineant. Sic *Venti*, quos vbique fere in veterum monumentis 34) alis circum

corii gentiles praecipue in vsu fuerint (vid. *Volckenar.* ad Theocrit. Adoniaz. p. 345.) huic quoque petaso alas affinxerunt. vid. *Lippert. Dactylioth.* I, 317, 321. Huc respicit Philostrat. in Ep. XXVI. p. 825. ὁ Ἑρμῆς κοινὰ τῷ πετάσῳ καὶ τοῖς σφυροῖς, et sic saepe alibi, quod negasse miror Cl. *Seyboldum in Introduct. ad Mythol.* p. 226. edit. nouiss.

33) *Volucer* appellatur in Hymno suauissimo in Somnum apud Senec. in Hercul. Fur. 1065. seqq. Ἀνδαῖοι πτεροὶ illi tribuitur a Callimach. H. in Del. 234. vbi, quam *Spanhemius* in notis e schedis Pighianis exhibet Somni imaginem alatam, merito illi alteri a *Boissardo* et *Lessingio* delineatae praefertur ab elegantissimo harum formarum spectatore *Herdero* in *zerstreute Blätter* T. II. p. 322. Adde, quae nos olim vberius de Somni alis disputauimus in Prolusione *de Imagine Somni* p. 18. 19. Cf. *Magnus Hemsterhusius* ad Lucian. T. I. p. 130.

34) Res nota e poetis. *Ventos alatos* in turri marmorea, Athenis adhuc conspicua, ex Itinerario *Sponii* laudauit iam *Cuperus* p. 178. Eandem describit *Chandlerus* in *Itinerario Graeciae* c. XXI. et imaginem eius exhibet *Rambachius* in *Versione Archaeologiae Potterianae.* Mirifice autem in depingendis ventorum alis sibi placuerunt poetae, ex quibus paucula saltem adspergere liceat. *Notum* madidis alis euolantem graphice depingit Ouid. Met. I. 264 - 67. eoi contrariam fere imaginem adumbrat Iouenal. Sat. V, 100. —

dum

circum volitare videmus, in elegantiſſimo epiſodio, vbi commodiſſima alas illis tribuendi ſuppeditabatur occaſio, absque alis conſpiciuntur Iliad. Ψ. 214. Sic *Ate*, quam, vt Parcas et Orcum [35]), haud dubie etiam alatam finxit antiquitas, pedibus tantum inſultare dicitur hominum capitibus, Iliad. Τ. 92. Sic *Erinnys*, quamuis alata Furiarum imago vbique fere ſit obuia [36]), ab Homero tamen ἠεροφοῖτις tantum appellatur. Iliad.

dum ſe continet Auſter, Dum ſedet et ſiccat madidas *in carcere* pennas. cf. Orph. Hymn. LXXXI. *alas fuluas* Boreae dedit Ovid. VI. Met. 706. vbi in rapto Orithyiae deſcribendo ingenioſe luſit poeta. Longe aliam in eiusdem raptus imagine formam habet Boreas in arca Cypſeli apud Pauſan. V, 19. p. 424. οὐραὶ ὄφεων ἀντὶ ποδῶν εἰσιν αὐτῷ. Zephiri dulciſſimam imaginem exhibet Claudianus de R. P. II. 88. *Ille nouo madidantes nectare pennas Concutit et glebas foecundo rore maritat.* cf. Orph. Hymn. LXXX. Sed eidem tribuitur etiam equus. Huc pertinet locus vexatiſſimus Catulli *Chloridis ales equus* LXIII. 54. quem recte hinc explicat Cl. *Wernsdorf.* ad Poet. Min. T. I. p. 271. Eundem deſcribit Philoſtratus Icon. I, 24. p. 799. vbi, quod mireris, πτερὰ ἀγέννητα illi tribuitur. Obſeruandum nimirum eſt, in loco corporis, cui alas affingerent, ſaepe variaſſe veteres. Quod patet praecipue in Boreae filiis alatis Zethe et Calai, quorum *humeros alatos* fingit Ouid. IV. Met. 716. *pedes* Appollon. I, 219. *tempora* Stat. V. Theb. 435. De qua veterum in hac re inconſtantia vid. *Weſſeling* in *Probabil. Crit.* IX. p. 77. et *Burmann.* in *Catalog. Argonaut.* ad *Val. Flacc.* ſ. v. *Calais* p. CVI. edit. Harles.

35) Orcus, (ᾅδης) cum perſonam Θανάτου ſuſtinet, (vid. Petron. c. 34. p. 144. edit. Burm. et *Herder.* zerſtreute Blätter II. p. 309) interdum alatus fingitur. Alceſte in tragoedia huius ipſius nomine inſcripta apud Euripid. 260. exclamat: ἄγει μέ τις — ὑπ' ὀφρύσι κυαναυγέσι βλέπων πτερωτὸς ᾅδας. Et Gratius in imagine, pro ingenio illius poetae ſatis ſublimi, Cyneget. 347. *Stat fatum ſupra, totumque* (τὸ ὅλον, totum orbem) *auidiſſimus* Orcus *Paſcitur*, *et nigris orbem circumſonat* alis. Huc pertinent etiam Horatiana: *volucrisque Fati tardauit alas* II. od. 17, 24. cf. Satyr. II, 1. 58.

36) v. c. apud Euripid. Oreſt. 317. δρομάδες ὦ πτεροφόροι Ποτνιάδες θεαί — *Stridentes anguibus alas* illis tribuit Virgil.

Iliad. 567. Sic *Fama*, ſemper apud alios alata et volans, apud Homerum Odyſſ. Ω, 412. ὄσσα κατὰ πτόλιν ᾤχετο πάντῃ. Sic *Harpyias* denique, quas omnis poſterior aetas volucres effinxit [37]), in locis apud Homerum nondum alatam volucrum formam induunt, quam ſeriori demum tempore in ſcriptorum et fictorum monumentis accepiſſe videntur.

VI.

Cum vero, quod ſupra iam monitum eſt, *omnes dii* (*Heynii* verbis vtor ad Apollodor. p. 301.) *armis et curribus inſtructi*

gil. Aeneid. VII. 561. et *ventoſas* in pulcherrima illa imagine XII, 845—48. cf. *Barneſ.* ad Eurip. Hercul. Fur. 882. et *Spanhem.* de P. et V. Numismat. V. 5. p. 260.

37) Harpyias in antiquiſſima lingua graeca procelloſos illos turbines, ſiue cataractas, quas nuſtrates *Waſſerhoſen* vocant, in mari mediterraneo ſaepius obuias (vid. *Faber.* ad Harmari obſeruationes Orientales P. II. p. 187. ſeqq.) deſignaſſe, poſt *Voſſium* de Th. Gent. ſaepius monuit *Heynius* ad Virgil. T. II. p. 358. *in Antiquariſchen Auffätzen* St. I. p. 51. et *in notis ad Apollodorum* p. 186. Patet hoc ex antiquiſſima illarum deſcriptione apud Heſiod. Θεογ. 267. Huc reſpicit haud dubie locus Statii III. Theb. 436. *vulſo terrarum ſordida fundo Tempeſtas* quod ibi non viderunt interpretes. Cf. locus claſſicus in Sophocl. Philoctet. 1093. vbi ſuſpectam illam lectionem πτώκαδες non cum *Gedikio* V. Cl. in πλώιδες ſed potius in πλάνιδες refingendam eſſe cenſuerim, quod ipſum Apollonio II, 1055. vnde coniecturae ſuae praeſidium duxit *Gedickius*, reſtituendum eſſe iam vidit *Erneſtius* ad Homeri Fragm. IX. p. 108. et ſic legitur nunc in nouiſſima edit. *Brunckii.* Caeterum in antiquiſſima lingua *Harpyiis abripi*, quod eſt: *citam et violentam mortem oppetere* eadem haud dubie allegoria dicitur, qua, qui in flore aetatis moriuntur, *ab Aurora rapi* dicuntur, de qua allegoria eleganter diſputauerunt *Seuſebius in Allegoria Homerica, qua raptus Aurorae explicatur in* Muſ. Crit. Vol. I. Faſcic. III p. 293. et *Vir aeternum mihi Venerandus Cl. Morus* in Proluſione de *cauſis allegoriarum* Lipſ. ſ. 1781. Adde *Dorvill.* ad Chariton, p. 356. edit. Lipſ. De Harpyiarum autem forma allata in nummis et monumentis veterum multa, vt ſolet, collegit *Spanhemius* de P. et V. N. V. Lib. V. p. 249 — ſeqq. adde *Lippert.* Dactylioth. I, 912, 13.

instructi sint, non aliter atque heroes; quid mirum, si mox eo deuenerunt antiqui, vt equos etiam alatos illorum curribus iungerent [38]). Sic ipse currus Iouis, cui equi alati e prisco sermone poetico (vt obseruat *Heynius* ad Apollod. p. 85.) iuncti sunt, saepissime occurrit apud veteres. In certamine cum Typhone fulmina in eum iaculatur [39]) Iupiter *ἐξαίφνης ἐξ οὐρανοῦ ἐπὶ πτηνῶν ὀχούμενος ἵππων ἅρματι* (posterior vox manifesto irrepsit e glossemate et prorsus delenda videtur) apud Apollod. I, 6. p. 23. Eandem imaginem cum reperisset forte Plato, antiqui sermonis poetici studiosissimus, non dubitauit illa tanquam stellula Phaedrum suum distinguere, in quo iam Dionysio Halicarn. (T. VI. p. 762. seqq Reisk.) nimium dictioni dithyrambicae indulsisse visus est. Locus Platonis est p. 340. II Lugd. vbi *ὁ μέγας ἐν οὐρανῷ Ζεύς* (cum vndecim deorum et daemonum ordinibus mundi extremam superficiem circumuolans) *πτηνὸν ἅρμα ἐλαύνων πρῶτος πορεύεται διακοσμῶν πάντα καὶ ἐπιμελούμενος* [40]). Hic est igitur *volucris* ille *currus* Horatii I. od. 34. 8.

38) Iam Homerus et Hesiodus in hac re praeiuerunt fingendo alato Pegaso, quem in stabula equorum Iouis receptum fuisse canit Pindarus Olym. XIII, 131. Τὸν δ' ἐν Οὐλύμπῳ φάτναι Ζηνὸς ἀρχαῖαι δέκονται. et apud Hesiod. Θεογ. 285. Πήγασος ἵππος — ἵκετ' ἐς ἀθανάτους, Ζηνὸς δ' ἐν δώμασι ναίει βροντήν τε στεροπήν τε φέρων Διὶ μητιόεντι. Hinc lepide apud Aristoph. Εἰρ. 721. Pegasus ille Trygaei, e stercore natus, scarabaeus, ὑφ' ἅρματ' ἐλθὼν Ζηνὸς ἀστραπηφορεῖ.

39) Iouem quadrigis vectum et fulmina in Typhonem iaculantem videre licet in ectypo gemmae apud *Gorium* in Mus. Flor. T. I. 57. n. 7. Sed equi non sunt alati. Nam huc quoque pertinet, quod supra iam monuimus, imagines deorum et rerum diuinarum alatas multo frequentiores esse apud poetas, quam in artis operibus. Quod, si quis diligentius attendat, saepe cotidie animaduertere licebit in legendo Pausania vel Philostrato.

40) Adi, qui totam hancce allegoriam scite excerpsit et exposuit, *Celeberrimum Meinersium* cum in Sylloge variorum scriptorum philosophicorum (*vermischt philosophische Schriften* 1 Th. p. 128.) tum in praeclaro et vere Phidiaco opere: *Geschich-*

te

34. 8. vbi *Cruquius* iam recte aduocauit πτηνὸν ἅρμα Platonis. Sic Herculem post ἀποθέωσιν *quadriiugo curru radiantibus intulit astris* Iupiter apud Ouid. Metam. IX. 272. Sed veteres nondum, quos Ioui affinxerant, contenti equis alatis, alas etiam addiderunt eius fulmini. Κεραυνὸν, πτεροφόρον Διὸς βέλος habet Aristophanes Ὀρνιθ. 1711. vbi Cl. *Beckius* laudat Orph. Hymn. XVIII. Notae sunt etiam fulminis alae e Virgilio Aen. V. 316. quod deinde passim imitati sunt Poetae latini 41). Sed redeamus ad currus sine equos alatos, quos non Ioui solum, sed omnibus omnino diis promiscue tribuerunt prisci homines, quotiescunque singularem eorum celeritatem indicare vellent 42). Ne vero molesti

te der *Wissenschaften in Griechenland und Rom. Vol. II.* p. 792. Caeterum saepissime ad hunc Platonis locum respexerunt veteres. Sensu interiori et mystico illum explicat Chrysost. orat. XXXVI. p. 448. Morell. ad quem locum vid. quae commentatus est *Kleukerus im Anhang zum Zend-Avesta* B. I. Th. II. p. 130. seqq. Eundem, quasi nimis turgidum et inflatum, falso perstringit Lucian. in Piscat. T. I. p. 592. edit. Reitz. Expressit illum etiam Apollonius apud Philostrat. in Vit. Apol. lib. II. 22. p. 74. (vbi, quod paulo ante de nubibus varias et monstrosas centaurorum et tragelaphorum figuras referentibus dicitur, accommodari debet ad locum Aristoph. Νεφ. 346. quod Olearium neglexisse miror.) ζωγράφοι ἄν, inquit, ὦ Δάμι, καταλυτοῖ τὸ πτηνὸν ἅρμα, ἐφ᾽ ᾧ περιέρχεται διακοσμῶν τὰ θεῖα ... κ. τ. λ. *Olearius* ibi turpiter hallucinatur, πτηνὸν ἅρμα de aquila, cui Iupiter inequitet, explicans. Alii autem iam hunc currum Iouis cum curru bellico Iehouae in splendidissima illa imagine Habacuc III. 8. compararunt, vide quae nos olim disputauimus in *Prolusione de curru Iouis tonantis Ebraeorum et Graecorum* p. 7. 8 — 1783.

41) Vid. *Heins.* et *Burman.* ad Claud. de R. P. II. 228. De fulminibus alatis in nummis v. c. Agathoclis apud *Beger.* Thesaur. Brand. T. I. p. 279. in altera disputationis huius parte, vbi de caussis historicis huius fictionis dissereretur, agendi locus erit.

42) Sic vbi in arca Cypseli celeritatem, qua Thetis arma a Vulcano fabricata filio attulerit, declarare vellet artifex, eam cum alia Nereide bigis ab olympo vectam repraesentauit

lesti simus lectoribus multorum exemplorum, quae leui opera in hanc rem colligi possint, copia, in paucis nunc acquiescere liceat. Primum igitur in genere obseruandum est, ex equis illis alatis, procedente tempore, cum a simplicitate prisci sermonis magis magisque degenerarent et deflecterent luxuriantes ingenio poetae, mira tandem illa iugalium diuinorum portenta conformata esse, ita vt Iupiter aquilis, Iuno pauonibus, Venus passerculis vel columbis vel cycnis, Ceres et alia nonnulla numina draconibus alatis [43]), Minerua noctuis, Apollo cycnis et gryphibus alatis et alii aliis veherentur animalibus. Deinde vero constat, in quibusdam diis a poetis et operum fictoribus seruatos esse equos alatos, praecipue in diei et noctis praesidibus, quos non solum curru sed equis etiam alatis vectos finxerunt. Solis alipedes quadrigae omnibus ex Ouidio noti. Πτερωτὸν ἅρμα illi tribuitur ab Eurip. Orest. 1002. Huc pertinet eiusdem poetae fragmentum de Phaetonte apud Longin. π. ὕψ. s. XV. p. 100. edit. Mor.

Τοσαῦτ' ἀκούσας (enim patris monita accepisset Phaeton,)
εἶτ' ἔμαρψεν ἡνίας
Κρούσας δὲ πλευρὰς πτεροφόρων ὀχημάτων [44])
Μεθῆκεν· αἱ δ' ἔπταντ' ἐπ' αἰθέρος πτυχάς.

D 2 De

tauit apud Pausan. V. 19. cf. *Heynium Antiquar. Aufsätze* 1. St. p. 50.

43) Notissima sunt Cereris (vt Apuleii verbis vtar Met. VI. p. 234.) *famulorum draconum pinnata curricula*, quae viuis coloribus depingit Claudian. de R. P. I, 182—90. cf. Ouid. Met. V. 647. VIII, 794. et in Fastis passim. Triptolemo tribuit δίφρον πτηνῶν δρακόντων Apollodor. I, 5. p. 17. Ceres et Triptolemus sunt personae symbolicae (vid. *Heynius Opusc.* p. 353.) frugum inuentionem indicantes. Hi curru alato draconum, quos genios fertilitatis habuerunt prisci homines, plures terrae plagas lustrarunt, h. e. inuentae fruges cito per Phoenices siue alias gentes vbique terrarum innotuerunt. Medea draconibus vecta ex Tragicis nota est. *Serpente fugit alite* Horat. Epod. III, 14. vbi vid. Lambin. cf. Apollodor. I, 9. p. 74.

44) Celeberr. *Morus* vertit haec verba: *pulsans aligeri currus latera*

De τιθρίππῳ Solis cf. *Spanhemius* ad Callimach. p. 497. edit. Erneſt. Audiendus etiam in hanc rem eſt Philoſtratus de Vita Apollonii Tyan. lib. III, 48. p. 134 cum dicit τέθριππά τε αὐτῶν (ſermo eſt de gryphibus) ὑποζευγνῦσαι τοὺς ἀγάλμασι τοὺς τὸν ἥλιον ἐν Ἰνδοῖς γράφοντας. Quam barbaram imaginem adoptarunt deinceps ſequioris aevi poetae v. c. Claudian. de VI Conſ. Honor. 30 Sidon. Carm. II, 307. *De Noctis curru* et imaginibus cum eo fere coniunctis apud poetas docte egit *Heynius* ad Virgil. Aenei. II 8 9. Excurſ. II. p. 236. Sed nuſpiam me legere memini *alatos Noctis equos*, ipſa vero Nox ſaepius alata occurrit. Νὺξ ἡ μελανόπτερος Ariſtoph. Ὀρνιθ. 694. *Nox ruit et fuſcis tellurem amplectitur alis* Aen. VIII, 1368. cf. *Heyne* ad Tibull. II, 1. 87. *Aurora* contra modo ipſis ſolis quadrigis vecta inducitur 45) (Aen. VI, 535.) modo bigis tantum, vt apud Homerum Odyſſ. ψ, 265. vbi dignus eſt, qui audiatur, Euſtathius: Ὅμηρος μὲν ἔτυ ξυνωρίδα ὑποζεύγνυσι τῇ Ἠοῖ (Lampontem et Phaetontem ipſius ſolis bigis eſſe, neſcio qua auctoritate tradunt Scholia ad Sophocl. Aiac. Flag. 682.) Λυκόφρων δὲ καὶ ἕτεροι μονόπωλον τὴν Ἠῶ πλάττοντες Πηγασῷ αὐτὴν ἐποχοῦσι πτερωτῷ ἵππῳ. Lycophronis locus, quo reſpexit Euſtathius eſt in initio Caſſandrae v. 16.

Ἠὼς μὲν αἰπὺν ἄρτι Φηγίου πάγον,
Κραιπνοῖς ὑπερποτᾶτο Πηγάσου πτέροις,

vbi vide Tzetz. Per alios, qui μονόπωλον eam finxerint, Euſtathius intellexiſſe videtur Euripidem, a quo μονόπωλος vocatur in Oreſt. 1004. Hinc Apuleius ortum lucis deſcribens Met. VI. p. 240. *Aurora*, inquit, *commodum inequi-*

tatera ſed ſi formam veteris currus animo concipias, hoc fieri plane non potuiſſe apparet. [illegible] haud dubie ſunt equi alati, quos loris concuſſis incitare ſolent aurigae v. c. Aen. V, 146.

45) Cf. elegantem gemmam in *Dactylioth. Lippert.* I. 738. vbi Aurora alata inter quadrigas ſolis ſe proripit, et ſe Auroram alatam cernere licet in gemma apud *Begerum* in Spicileg. antiqu. p. 84.

equitanti. Nimirum Aurora a recentioribus poetis saepe confusa est cum praenuntia lucis stella, Lucifero, cui proprie ἵππος κέλης tantum tribuebatur. Notus est equus Luciferi ex Ouid. Met. XV, 189. Claud. de R. P. II, 121, et saepissime alias. Deinde huic quoque currum tribuere coeperunt. vid. *Illustr. Heynius* ad Tibull. I, 9. 62. et Cl. *Wernsdorfius* ad Poet. Min. T. III, p. 508. seqq. In his enim mire variant Poetae.

VII.

Iuuat nunc per lancem saturam quaedam addere, vbi eleganti σωματοποιίᾳ aliis etiam rebus alas addidere Graeci et Latini. Hic primum occurrit elegantissimum illud fragmentum Theocriti e Παιδικοῖς in Analectis Brunckii T. I. p. 350.

— — Νεότατα δ' ἔχῃ παλινάγρετον
Οὐκ ἐστ' πτέρυγας γὰρ ἐπωμαδίας φορεῖ.
Κἄμμες βαρδυτέροι τὰ ποτήμενα συλλαβῆν.

Notabilis est haec imago, cum neque Hebe Graecorum, neque Iuuenta Romanorum in monumentis quae adhuc exstant, alatae reperiantur. Caeterum versu vltimo respicit venustissimus poeta ad prouerbium, quo vsus est Plato in Euthyphrone c. 4. p. 15. *edit. Fisch. nouiss.* πετόμενόν τινα διώκεις, quod occurrere etiam apud Aristotelem in III. Metaph. ainot Chiliades. *Curas*, sequaces illas deas Lucretii II, 40. Horatium *alatas* finxisse (*curas laqueata circum tecta volantes* II. Od. 16. 11.) in vulgus notum. Idem iam fecit Theognis 707. ex edit. Brunck.

φροντίδες ἀνθρώπων ἔλαχον πτερά, ποικίλ' ἔχουσαι
Μυρόμεναι ψυχῆς εἵνεκα καὶ βιότου.

Crimina alata finxit Euripides in eleganti fragmento Melanippes III. p. 453. T. II. edit. Lips.

Δοκεῖτε πηδᾷν τ' ἀδικήματ' εἰς θεοὺς
Πτεροῖσι, κἄπειτ' ἐν Διὸς δέλτου πτυχαῖς
Γράφειν τιν' αὐτά.

Vid

Vide de hoc fragmento *Ernest.* ad Callimach Hymn. in Cer. 57. *Plutum*, claudicantem illum et pedibus captum tenebricosum, interdum tamen *alatum* fingit Lucianus in Timone c. 20. vbi de ſemet ipſo narrat Plutar. ὁπόταν δὲ ἀπαλλάττεσθαι δέῃ, πτηνὸς ὄψει, πολὺ τῶν ὀνείρων ὠκύτερον. Aliam ob cauſam alatus fingitur in pictura apud Philoſtratum in Icon. II, 27. p. 853. vbi, cum Iouem natalibus Mineruae in Rhodo inſula auro pluiſſe narrauit, addit: ἐφίστηκε τῇ ἀκροπόλει (ſc. Rhodiorum) ὁ Πλοῦτος γέγραπται δὲ πτηνὸς μὲν ὡς ἐκ νεφῶν, quo additamento declarat, Plutum hac demum occaſione alatum apparere, quando cum auro ex nubibus demittitur. Sic τύχη, *Fortuna*, interdum alata formata eſt. Pluribus hoc demonſtrari poterit exemplis. Vnum tantum ſed venuſtiſſimum, afferam e Plutarcho *de fortuna Romanorum* T. VII. p. 260. *edit. Reisk.* vbi Fortuna in certamine cum Virtute accurrit οὐ πτεροῖς ἐλαφρίζουσα ἑαυτὴν κούφως, ſed paſſu firmo et ſedato. Cuius rationem ſuauiſſime reddit Plutarchus: ἡ τύχη καταλιποῦσα Πέρσας καὶ Ἀσσυρίους, Μακεδονίαν μὲν ἐλαφρὰ διέπτη, καὶ ἀπεσείσατο ταχέως Ἀλέξανδρον, καὶ δι᾽ Αἰγύπτου καὶ Συρίας περιφέρουσα βασιλείας διώδευσε, καὶ Καρχηδονίους στρεφομένη πολλάκις ἐβάστασε· τῷ δὲ Παλατίῳ προσερχομένη καὶ διαβαίνουσα τὸν Θύμβριν (ὡς ἔοικεν) ἔθηκε τὰς πτέρυγας, ἐξέβη τῶν πεδίλων — οὕτως εἰσῆλθεν εἰς Ῥώμην, ὡς μενοῦσα. *Spes* haud dubie etiam *alata* ficta eſt. Quod colligi poteſt ex Heſiod. Ἔργ. κ. Ἡμ. 96. vbi cum Pandora ex aperto vaſculo omnis generis mala immiſiſſet mortalibus

Μούνη δ᾽ αὐτόθι Ἐλπὶς ἐν ἀρρήκτοισι δόμοισιν
Ἔνδον ἔμιμνε πίθου ὑπὸ χείλεσιν, οὐδὲ θύραζε
Ἐξέπτη

Hinc πέτεσθαι ἐλπίσιν apud Sophocl. Oed. Tyr. 487. *Dorvill.* ad Charit p. 407. edit Lipſ. *Pudicitia alata* et a conſpectu rei turpiculae (phallorum) auolans reperitur in *Winckelmanns Monument. Antichi Inediti* n. 26. p. 32. —

in

In vestibulo domus Veneris in elegantissimo Claudiani epithalamio, de Nuptiis Honor. et Mariae v. 83.

Et lascina volant leuibus Periuria *pennis*

Apud Sil. Ital. XV, 97. Virtus ad Voluptatem:

Ebrietas tibi fida comes, tibi Luxus et atris
Circa te semper volitans Infamia pennis.
Mecum Honor, et Laudes et laeto Gloria vultu
Et Decus, et niueis Victoria concolor alis.

De *Nemesi alata* Ammian. Marcellin. XIV. p. 33. Lindenbr. *Pinnas idcirco illi fabulosa vetustas aptauit, vt adesse velocitate volucri cunctis aestimetur.* Locus classicus de illa apud Pausan. I, 33 p 82. de Nemesi Rhamnusia: Πτερὰ δ' ἔχον οὐδὲ τοῦτο τὸ ἄγαλμα Νεμέσεως, οὔτε ἄλλο πεποίηται τῶν ἀρχαίων. Ἐπειδὴ δὲ Σμυρναίοις τὰ ἁγιώτατα ξόανα ἔχειν πτερὰ οἶδα ὕστερον, ἐπιφαίνεσθαι γὰρ τὴν Θεὸν μάλιστα ἐπὶ τοῖς ἐρᾶν ἐθέλουσιν 46)· ἐπὶ τούτῳ Νεμέσει πτερὰ ὥσπερ Ἔρωτι ποιοῦσιν. Nemesis πτερόεσσα, τανυσίπτερος est in elegantissimo hymno Mesomedis, quem post Comment. Academiae Inscript. T. VII. p. 289. Amstelod. exhibet et illustrat etiam P. *Wesselingius* ad Diod. T. I. p. 473. Confer elegantem disputatiunculam de Nemesi apud *Herderum* in *zerstreute Blätter* T. II. p 218—272. et *Doruill.* ad *Chariton* p 577. Lips. Sed alata est etiam *anima humana*. Animarum alae saepius occurrunt in allegoricis illis de anima et amore in Platonis Symposio figmentis. Rem totam scite et eleganter exposuit *Meiners* in *vermischten Schriften* T. I. p. 120. *über die Natur der Seele, eine Platonische Allegorie.* Atque ex his Platonis allegoriis, quae mox omnibus mirum in modum arriserunt, λιθογλύφοι etiam et alii

46) Hic suspicor voculam ἐν excidisse ante ἐθέλουσιν. Nemesin enim eorum, qui amantes aspernarentur, fastum compressisse, patet e multis veterum locis. Catull. XVIII. 20. *Ne poenas Nemesis reposcat a te.* Philostrat. Ep XIX. p. 921. ad amasium superbum καὶ Ἔρως, καὶ Νέμεσις ἐξῆς θεοὶ ὀξὺ φερόμενοι.

alii artifices imaginem illam animae alatae deriuaſſe videntur. Sed cum in lingua graeca ψυχαὶ etiam appellarentur papiliones, (locus claſſicus eſt apud Ariſtot. Hiſt. Anim. V, 19. p. 944 F. *περιῤῥήγνυται τὸ κέλυφος, καὶ ἐκπέτονται ἐξ αὐτῶν πτερωτὰ ζῶα, ἃς καλοῦμεν ψυχὰς* cf. Plutarchi Sympoſ. II, 3. p. 521. T. VIII. edit. Reisk.) animas humanas papilionum alis inſtructas vel ipſa adeo papilionum ſpecie effinxerunt. Et ſic ſaepiſſime occurrunt in gemmis et anaglyphis ſepulchralibus veterum, de quibus optime expoſuit *Sponius* in Miſcellan. Antiqu. p. 7. ſeqq. Hinc orta eſt notiſſima illa Pſyches fabula. Haec in monumentis nunc alas habet, nunc papilionis forma e corpore ſupino euolat, nunc circa oſſa ſepulta volitat, nunc Cupidinis face aduritur, nunc ab eodem ad arbuſculum clauo figitur, quod pluribus docet *Geſnerus*, qui copioſe egit de hoc veterum pictorum et ſculptorum phantaſmate in *Proluſione: de animae in antiquis monumentis ſymbolo, papilione*, quae inſerta eſt *Geſneri Biograph. Academ. ab Eyringio edit.* T. II. p. 54 ſeqq. Cui addas, ſi placet, *Klotzium*, *Ueber den Nutzen und den Gebrauch der alten geſchnittenen Steine*, et qui totam illam fabulam de Pſyche et Cupidine, Apulejo procul dubio antiquiorem, et Platonicorum allegoriis ſuperſtratam, egregie nuper illuſtravit, *Herderum*, in *zerſtreute Blätter* T. II, p. 326-40. Ingenioſiſſima certe viſa eſt coniectura Viri, ad origines eiuſmodi allegoriarum inueſtigandas nati factique, de Cupidinis et Pſyches, non iam papilionis ſed puellae ſpecie effictae, imaginibus, (quales ſat multas exhibet Lippert. Dactylioth. I, 829-35.) in quibus non Cupidinem, quod vulgo putant, ſed genium Somni cum anima Paſitheae, quaſi ſpecie quadam iam induta, colludentis adumbratum eſſe autumat. Liceat mihi in hanc rem ex Eiusdem *Herderi* poematum collectione, *Volkslieder* inſcripta (T. II, p. 218.) dulciſſimum adhuc floſculum decerpere, et ſuauiſſimo eius colore diſputationem noſtram quaſi diſtinguere:

Das

Das Lied vom Schmetterling.

Liebes, leichtes, luft'ges Ding,
Schmetterling,
Das da über Blumen schwebet,
Nur von Thau und Blüthen lebet,
Blüthe selbst, ein fliegend Blatt,
Das, mit welchem Rosenfinger!
Wer bepurpert hat?

War's ein Sylphe der dein Kleid
So bestreut,
Dich aus Morgenduft gewebet,
Nur auf Tage dich belebet?
Seelchen, und dein kleines Herz
Pocht da unter meinen Finger,
Fühlet Todesschmerz.

Fleuch dahin, o Seelchen, sey
Froh und frey,
Mir ein Bild was ich seyn werde,
Wenn die Raupe dieser Erde
Auch wie du ein Zephir ist,
Und in Duft und Thau und Honig
Jede Blüthe küst.

Atque in hoc acquiescere iam et finem imponere liceat nostrae disputationi. Multa supersunt de alis, regum capitibus affixis, de alatis Medusae, Solis et aliorum capitibus, de Sirenibus, de numis Victoriatis, et id genus aliis, sed cum haec omnia *e caussis historicis* explicanda sint, vberius de illis, alia scribendi oblata occasione, acturi sumus.

Restat, vt ipsum, quo haec a me disputata sint, aperiam consilium. Sapienter nimirum et antiquo more fieri solet, vt, qui scholae cuidam regendae praeesse iubentur, sub ipsis muneris auspiciis partim pietatem, quam habitus sibi honor et tributum beneficium excitare debet, publice

declarent, partim qualecunque eios peritiae, quam ipſom munus exigit, ſpecimen proponaut. Iam vero cum munus Directoris Gymnaſii Illuſtris Gothani, quod iuſſu et auſpiciis SERENISSIMI ET CELSISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI ERNESTI, DVCIS SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE, MONTIVM, ANGRIAE ET WESTPHALIAE, LANDGRAFII THVRINGIAE, MARCHIONIS MISNIAE, PRINCIPIS ET COMITIS HENNEBERGIAE. COMITIS MARCAE ET RAVENSBERGAE, DYNASTAE RAVENSTEINII ET TONNAE, DOMINI MEI CLEMENTISSIMI, a *Venerandis huius Gymnaſii Ephoris* mihi demandatum eſt, ante quatuor fere menſes ſuſceperim, equidem, vt mori a maioribus tradito diutius deeſſem exſequendo, committere nolui. Solemnem igitur orationem craſtino die in Auditorio Maiori hora IX eo conſilio habebo, vt Dei optimi Maximi ad munus meum rite adminiſtrandum feruentiſſimis precibus mihi expetam auxilium atque praeſidium, deinde pio et ſubmiſſo animo gratias agam PRINCIPI SERENISSIMO CELSISSIMOQVE, cuius nutu et ſingulari indulgentia mihi demandata fuit ſcholae prouincialis regendae prouincia. Cui quidem orationi vt intereſſe ne grauentur *Maecenates Illuſtriſſimi*, *Perilluſtres aulae Proceres*, *Publicae ſalutis Curatores*, *Ephori Gymnaſii Summe Venerabiles*, *Sacerdotes plurimum Reuerendi*, *Muſarum Patroni ac Fautores*, *Collegae Clariſſimi Doctiſſimique*, *Iuuenes denique Humaniſſimi*, ea, qua decet animi pietate et obſeruantia, oro rogoque.